



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

Vt lite pendente nihil innovetur. Consilium XCII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

rescript. lib. 6. & ibi DD. l. Nalli & ibi DD. C. De iudic. Ita ut venerabiles Domini Afflores nihil conturbari debeant ex importunitate Actoris, ficto aut suspecto eius morbo, neque ejus ejulantiis aut lachrymis, quæ crocodili & porcine sunt moveri; cum juris rigor, imò æquitas hunc ordinem cognitionis præscribat, Afflic. d. decis. 18. nu. 3. nec eum sine evidente nullitate perturbari patitur, l. Proletam C. de sent. & interloc. omnium iud. A cujus ordinis observatione liberare non potest status causæ, quasi illa iam ad finem & ad calculum sententia tendat; ideoque simul & semel de attentatis & principali causa jus dici possit: t. nam remedium attentatorum semper saluum est, & proponi potest etiam cum privilegio suspensivo causæ principalis, quamdiu in causâ non est conclusum, Rota decis. 6. sub tit. ut lite pendente, alias 518. in antiqu. imò etiam post conclusionem in causâ, tunc & quando in eadem causâ aliquid attentatum & innovatum est post conclusionem causæ, Marti. de Afflic. decis. 352. Quidam Curiaervix. nu. 3. Ita quod cum in hac causâ principali nondum conclusum sit, & ut per decretum in ea novissime latum quoquo modo conclusum dici posset, prædicta attentata & innovata postea emerserint dubitandum non sit, quin prædictus ordo juris omnino observandus sit, nec quiquam adversus Reum in principali causâ pronuntiandum, etiam si per Actorum lesionem D. Iudex infirmari posset, quod Reus in principiâ destitueretur iure; * quia agenti remedio attentatorum, non potest, obijci aut obflare notorius defectus juris, Afflic. d. decis. 52. nu. 4. & 5. & quamdiu pendet causâ (quod est quamdiu sententia definitiva pronuntiata non est) non potest dici constare notorie de prædictam causâ esse contrarium, contra quem fuit attentatum, Alexan. d. consil. 99. nu. 9. & 106. Et sic præsupposito quod attentans in principali victurus sit, semper saltem pro forma debent revocari attentata, priusquam perveniri possit ad sententiam definitivam: ante quam omnia attentata non tantum per iudicem revocata, sed etiam per attentantem effectualiter repurgata esse debent; & hanc esse iudiciorum proximè tradit Carolus Molinæus, ad d. consil. Alex. 99. ad verb. constat. Quæ omnia plurimum adjuvantur & intenduntur per aliam considerationem, quæ in hanc quoque causam incurrit; quod scilicet Actor dicta crimina Reo in hac causâ obijciendo, & pro eorum persecutione se inscribendo, hoc effecerit, ut civili huic quæstioni de decanatu, sic incideret quæstio & causâ criminalis; t. quâ incidente, tunc potissimum quando criminis quæstio contingit principalem, aut unum aliquem ex præcipuis articulum, suspenditur causâ civilis, & in primis & ante omnia cognoscendam est de incidente huiusmodi causâ criminali, l. penult. & ult. C. De ordin. cognit. Afflic. decis. 229. Sape & Sepsus. Et hoc est quod dicit Baldus in l. ult. C. De iud. instrum. quod non possit excediri causâ civilis, pendente accusatione falsi vel perjurij contra testes. Ita quod rectè pro parte Rei in hac causâ principali proposita sit alteratio de suspendenda cognitione causæ principalis, cum propter supradictum beneficium attentatorum, cum per incidentem quæstionem criminis per Actorem injectam.

Velite pendente nihil innovetur.

S V M M A R I V M.

Attentatorum remedium etiam contra tertium.

1. Citatio litispendentiam quatenus inducat.
2. Litigiosum unde inducatur.
3. Attentatorum remedium etiam adversus tertium competit.
4. 6. Attentata quæ cessantur.
5. Hæres in possessionem mittendus & revocandus.
7. Lite pendente super beneficio, resignatio & permutatio non prohibita est.
8. Assentatum per eum qui non pendente iudicio ius habet, revocari potest.
9. Beneficia quæ consecratur.
10. Consecratio beneficij ius sine approbatione papa aut episcopi revocari nequit.
11. In parsonatus ad hæres etiam extraneos transit.
12. Constitutio Principis salutaris prohibens, ne bona immobilia acquirantur Ecclesijs vel religiosus locis, non valet.
13. Statuta ne religiosi succedant parentibus, an valent.
14. Ius ex tempore variat.
15. Constitutiones novæ ex quo tempore ligent.
16. Princeps ius contradihibere ligatur.
17. Suspensio & collatio differunt.
18. Assentata revocanda.

CONSILIUM XCII.

IN causâ attentatorum pro parte curatorum prolium Rochi vander Smissen Imperantium, contra Petrum Andries, & Dominum Michaelem Godevaerts Opponentes proposita, sequendo doctrinam à Ioanne Imoleni traditam, in Clem. 2. nu. 2. Velite pendente &c. in materia revocationis attentatorum ex regula, ut lite pendente nihil innovetur, de duobus tantum quaeremus; an scilicet his aliqua inter dictas partes pependerit; & an aliquid indebitè innovatum sit; hæc enim duo causam revocandi, quæcumque lite pendente innovata sunt, continent. De primo quoad Petrum Andries, nihil dubitandum est; quod ex actis causæ principalis apertissime constet, adversus eum ex parte dictorum curatorum institutum fuisse iudicium possessionum reivocanda seu manutentionis, non tantum citatione interpositâ, & ad notitiam partis introductâ, t. quæ in hoc articulo sufficeret ad litispendentiam introducendam, d. Clem. 2. & ibi Imola, Cardin. Zabarel. cons. 10. nu. 1. & 2. verum etiam litis contestatione factâ; * quo casu ad quoscunque similes juris effectus lis pendere dicitur; veluti ad vitium litigiosi inducendum, & rei litigiosæ alienationem inhibendam, l. 1. §. fin. De litigios. l. 2. c. eod. & th. Authen. eod. l. 1. cum factum, de quo velut attentato revocando quaeritur, postea intervenit lite illâ sic pendente. Cæterum an idem quoad dictum Dominum Michaelem dici possit, iustior habet dubitationem; quod adversus eum nulla prorsus lis ex parte dictorum curatorum fuerit instituta tempore quo innovatum seu attentatum dicitur. Sed hærendum in eo non est; * quia remedium revocationis attentatorum competit etiam adversus tertium, qui

qui ipse propriè non attentavit aut spoliavit, sed in re attentata successit, *phil. Decius in c. Bona memoria nu. 7. de appellat.* ac multò magis adversus eum, cum quo pars litigans & innovans attentatum exercet, & ei, qui attentat vel causam vel auxilium præbet. Docet enim Felinus, *in c. Cum super nu. 18. de sent. & re iudic.* quod quamvis attentata per tertium lite pendente non revocatur summarie per viam attentati, sed ordine juris servato, novà lite propolita, *Thom. Fastoli dubio Rote 19.* revocantur tamen summarie per viam attentati, si tertius una eum parte quæ in lite est innovavit; quali per solam partem fuisset intentatum. Quare cum attentatum de quo quæritur lite principali pendente exercitum sit per dictum Petrum, cuiusque attentati utilitatem & commodum sibi vindicaret, ac per illud dictis curatoribus molestus esse pergat Dominus Michael, nihil dubitandum quin etiam quoad eum lite pendente attentatum sit; & adversus eum attentati revocatio institui potuerit etiam summarie implorato iudicis officio, *Rota d. decis. 6. alias est. 518. nota quod attentata in antiq. Cassad. decis. 3. de restitut. spoliat. nu. 6.* multò magis per viam ordinariam novo iudicio instituto; prout in hac causa attentatorum factum est. De secundo perinde quoque non admodum dubitandum: est enim ejus generis factum, de quo revocando & annullando contendunt impetrantes, ut directè tendat in præjudicium litis institutæ; hoc est continet longè majorem turbationem possessionis, cuius retinendi nomine lis principalis fuit instituta, quàm factum casarum arborum, quod principali liti occasionem dedisse dicitur. Contendunt enim impetrantes in principali causa injustè se turbatos per dictum Petrum in possessione villæ, quam ex successione testamentaria Domini & Magistri Joannis Vesluys obtinuerunt; cujus possessionis exercitiæ multa admodum exempla & modos deduxerunt, cum sufficere potuissent deduxisse & probasse solam attentionem, non probatà possessione, in qua attentatum fuit: præsertim cum de jure impetrantium non tantum apparet (quod solet sufficere in attentati causa, *Innoc. in c. Constitutus de filiis presbyter. Rota decis. 2. alias est 55. ad instantiam. tit. De liti contestat. in novis. & decis. 7. alias est 505. Nota ad instantiam. tit. Vt lite pendente in antiq.*) sed & sufficienter constet per exhibitionem testamenti dicti quondam Domini & Magistri Joannis, non vitiatum, non cancellatum, neque ex aliqua sui parte vitio aliquo visibili suspectum: sic ut virtute ejusdem in possessionem illius villæ quam totà vita possedisse dicitur Dominus Joannes, per iudicem etiam nunc mitti deberent impetrantes, si missi non essent, *l. fin. c. De edicto Divi Hadriani tollen. multò igitur magis in eadem retineri, quando eam pacificè nacti sunt, l. iuvius. §. cui damus. de reg. iur. l. per retentionem c. De usu riv. Est namque novæ constitutionis, d. l. fin. & ibi Alberic. beneficium, non tantum acquirenda possessionis, sed etiam retinendæ; ut & bonorum possessio, *l. 3. §. bonorum de bonor. poss. facilius enim, inquit in hoc articulo Baldus, in d. l. fin. confirmatur & retinetur possessio, quàm de novo acquiritur; maxime cum ex adverso ex scripturis Opponentium nihil omnino constet de eorum ju-**

re vel possessione, in cujus continuationem posset dici Petrus fecisse, quod nunc velut attentatum in præjudicium litis pendentiæ revocari & annullari petitur. † Attentatum autem hoc est, quod interea quàm in contentione retinendæ possessionis sunt Impetrantes adversus Petrum, idem Petrus præsumpserit donare vel conferre Domino Michaeli Capellaniam, seu jus celebrandi Missas in Ecclesia de Wilrick, quod ex testamento Henrici Paridoens originem trahere contendunt Opponentibus, & virtute illius ad fundationem dictarum missarum, villam contentiosam pertinere; quod quidem directè tendit in præjudicium litis institutæ; quia alium adversarium supponit, præfatum scilicet D. Michaellem, qui sine hac Petri collatione, nullum jus adversus Impetrantes prætereundum posset. † Et idè quomodo lite super beneficio instituta, non est permittum alterutri, sine Papæ licentia beneficium permutare aut resignare; nec altero ex litigantibus decedente, alter ad dignitatem eligi potest lite adversus superlitem nondum finita, *c. 1. & 2. v. lite pendente lib. 6.* & si de facto fiat, per viam attentati revocatur electio, permutatio, seu resignatio, *Innoc. in c. Cum M. de constit. Rota decis. 3. alias est 400. nota si lite, sub tit. Vt lite pendente in antiq.* ita, quoque in re subiecta revocanda est hæc collatio; eoque magis quòd etiam iudicii naturam & formam alteret; cum alia sit causa, ex qua Petrus homo laicus beneficiorum seu jurium Ecclesiasticorum incapax cum Impetrantibus in principali causa contendit; alia, ex qua Dominus Michael. Augetur huius præjudicii ex hoc attentato modus, quod Petro perseverante in causa principali, propter hanc collationem dictus Dominus Michael novum iudicium interdicti retinendæ ex vitiosa hac possessione, dicta lite principali pendente, clam acquisita, adversus Impetrantes intentaverit, & Impetrantes eo commento in plures adversarios distringantur. Quæ quidem longè probabiliora erunt, si in conditionem & jus dictæ collationis ac Capellanis seu fundationis missarum, ac Collatoris qualitatem inquiratur. † Eth enim ea indagatio ad hoc attentatorum iudicium non sit necessaria, possitque alioqui tanquam attentatum revocari quod factum est lite pendente ab eo qui non pendente iudicio, faciendi jus haberet, *Imol. in d. Clem. 2. v. lite pendente.* & hæc investigatio proprietatis causam magis concernat; aperit tamen & evidentiùs demonstrat dicti Petri machinationem & verum attentandi studium.

Occurrunt autem causæ multæ, ex quibus manifestissime deprehenditur Petrum jus conferendi non habuisse, ne quidam nullà lite instituta; quas summam percurreremus. † Primò quòd nihil sit quod conferatur, per not. in c. Ad audientiam de Elect. adisio. Cardinal. Zabarella in repet. Clem. literas de rescript. testamento enim Henrici Paridoens materia seu causa beneficii præberi potuit; sed non beneficium Ecclesiasticum erigi: quia id solius Papæ aut Episcopi est; cum autem Episcopi approbationem non possit dici Capellania seu beneficium Ecclesiasticum, *c. Nemo c. nullus de consecrat. distinct. 1.* ita quod in hac re non sufficiat testatoris bona ad fundationem relinquentis sola voluntas & dispositio,

10 sitio, *Felm. inc. Ex parte 2. nu. 2. de rescript.* * Secundo, quia ut dici posset huiusmodi dispositio rei in perpetuum relicta pro celebrandis missis beneficium seu pia quaedam donatio, *Lud. Rom. in auth. Similiter. in princ. c. ad legem Falcid.* eius tamen collatio deberet esse Episcopi seu ordinarij Ecclesiastici, non hæredis testatoris aut alterius; etiamsi testator ut jus conferendi testamento suo alicui reliquerit: ad hoc enim ut jus conferendi seu patronatus acquiratur, Episcopi approbatione opus est, c. *Significatum, De preben. c. significavit. De testib. ac demum per Episcopi approbationem transit jus patronatus ad hæredem, r. filijs c. Considerandum xv. q. 7. Calderin. consilio 5. de iure patron.* Unde cum nulla Episcopi approbatio hic intervenierit, nemo est, qui vel ex consanguinitate dicti Henrici, vel præfati Domini & Magistri Ioannis, jus conferendi sibi usurpare possit. * Tertio sublato defectu approbationis Episcopi pertineret jus conferendi ad hæredes dicti domini & Magistri Ioannis, & aliorum qui sunt de nomine Versuys; prout testamento dicti Domini Henrici expresse cavetur: ac nusquam constat Petrum inter eos esse; cum ex adverso constet testamento dicti Domini & Magistri Ioannis, proles dicti Rochi hæredes esse institutos: jus enim patronatus etiam ad extraneos hæredes transmitti potest, *Calder. conf. 2. de iure patron. pet. de anch. conf. 81. Prima facie nu. 1.* † Quarto, quod relictum dictæ villæ ad dictam capellaniam seu foundationem videatur ipso iure nullum ex constitutione illa Caroli V. Imperatoris, quæ in additione iucundi sui in Ducatum Brabantie introitus anno 1513, denuo specialiter confirmata in anno 1520, prohibuit bonâ immobilia locis religiosis acquiri, seu ad fundaciones Ecclesiasticas relinqui, De cuius quidem constitutionis validitate etiam dubitent Opponentibus; quasi sit contra Ecclesiasticam libertatem, ideoque nulla, *Auth. Cassa c. de sacros. Eccles. dubitationem tamen remouet hodierni temporis usus & praxis.* Nam præterquam quod periculo plenum sit de Principis placito disputare, *l. disputate c. De crim. sacrilegis* receptum est huiusmodi laicorum & præsertim Principum statuta & consuetudines tamquam fundatas in bono publico pro temporis ratione esse tolerandas, & libertati Ecclesiasticæ minimè contrarias iudicandas, Dissimulari quidem non potest, Bartolum, ejusque sequaces in ea sententia esse ut existiment, huiusmodi statuta, quibus in Ecclesiam prohibentur alienari bona immobilia ipso iure esse nulla in *Authen. Cassa c. in l. fin. c. De sacros. Eccles. in l. filiusfamilia. §. diu de legat. 1. sed in alia sententia sunt admodum multi; veluti Iacobus Butrigarius in d. *Auth. Cassa*, Baldus in c. Clerici nu. 2. de indic. c. inc. *Quæ in Ecclesiarum col. de consuet.* Franciscus Curtius senior, *conf. 17. nu. 8. lason, in d. §. diu Lectura. 1.* & ante hos Signorolus des Hemodis, *conf. 21. statuto civitatis Mediolan.* à Baldo relatus in d. c. Clerici, nec non Petrus Beluga, in *speculo principum. tit. de amovitionibus §. 1. nu. 21.* unica fere hæc ratione, favore scilicet publici & communis boni ac subditorum, ut eis salva sint immobilia ac territoria conserventur & publicæ functiones sustineantur: sic ut Ref-*

publica, quæ Ecclesiæ comparatur, *l. fin. c. De sacros. eccles.* non minus sit defendenda in iuribus suis, quàm Ecclesiæ, *Bald. in d. c. Clerici.*

Quæ etiam ratione Barth. Chassaneus, in d. *can. consuet. Burgund. tit. de success. §. 14. in fine rubr. 7.* defendit statuta & consuetudines locorum, ne religiosi succedant parentibus aut cognatis: nihil enim (inquit) Ecclesiæ hic aufertur sed eidem non deferretur & potest Princeps statuere super iure quærendo Ecclesiæ, non super iure quæsito; quamvis tamen in hoc articulo alibi aliter sensisse videatur, *ad consuet. Burg. tit. de. mainmortes §. 10. nu. 50. rubr. 2.* † Et sanè cum jus ex tempore, & circumstantiis emergentibus variari ac mutari possit; & iniquum esse incipiat, quod aliquando æquum fuit visum, & e contra, *l. 2. §. seu quia divina. C. de veteri iure enuel. Auth. de impet. post princ. colat. 4.* dici potest iniquum non esse, si constitutio de non acquirendis bonis immobilibus, quæ stante paupertate Ecclesiarum & locorum religiosorum juri adversari Bartolo & alijs videbatur, nunc ad istum modum adaugetur eorum facultatibus, in usum introductor, ne luxuriandi lascivendi quæ causa detur, & laicis omnis potestas paulatim detrahatur sicut sic cessante causa acquisitionis, esset ipsa acquisitio. Unde Hieronymus, *ad Nepotianum*, cum suo tempore similis lex lata esset, quæ postea Constantini lege sublata fuit, in *l. 1. c. De sacros. eccles.* legem velut iniquam reprehendere noluit sed tantum id inenarrabile statum Ecclesiasticum doluit.

Iustior est alia obiectio, quod Henricus Parisiensis sit testatus anno 1514 & mortuus anno 1518, quodque constitutio anni decimi quinti suspensa fuit usque ad annum vicelesimum; & sic Henricus neque testando in legem, quæ nondum lata erat peccasse, neque morte suâ testamentum ferius confirmasse videatur: † sed cum constitutiones novæ statim ligent ab earum publicatione, saltem intra duos menses in *Auth. ut facte nova consue. colat. §. dicendum* videtur, virtute testamenti prædicti, quamvis conditi ante constitutionem, nulla bona in mobilia ad Ecclesiam pervenire potuissent: inspicimus enim magis tempus mortis testatoris & aditionis quodam acquisitionem; quia nimirum tunc testamentum effectum nanciscitur, deferretur hæreditas, *l. si alienum. §. in extraneis de her. instit. ac legata cedunt, l. unica §. in novissimo c. De caduc. tollen.* Neque quicquam facit subsequens anni vicelesimi confirmatio, & interveniens, atque anno 16 decimo octavo adhuc stans suspensio: * nam præter id, quod Advocatus Impetrantium adversus eam suspensionem obijcit de defectu potestatis Principis in suspendendo eo statuto, quod Procerum & totius patriæ conventionem juratâ constitutum & receptum fuit, cum Princeps suis contractibus ligetur nec eis derogare possit, *l. digna vox c. De legib. c. 1. & ibi Decius De probat. Bald. in l. Qui se patris c. Unde liberi, post. in c. Nova. De iud. ut in simili traduat de adempta facultate Pontifici derogandi concordatis Germanicæ aut alijs nationi concessis, *Cassador. decis. 1. de pact. pet. Rebuff. ad concord. in præfat. rubric. de collat. §. monemus in v. privilegium.* * dici etiam potest, huiusmodi suspensionem à derogatione longè distare, cum aliud sit suspen-*

suspendere; aliud tollere: suspensio enim rem ipsam relinquit; unde quemadmodum interdictio Ecclesiastico posito appellatio non est permittenda, quoque nec eo suspensio, Bald. Ang. & Imola in l. illa infirmo §. si qui apud De hered. instit. Quo fit, ut vis suspensionis ab eventu dependeat, ut si prohibitio, quæ suspensio fuit, postea annulletur, illius retio iudicetur nullus fuisse effectus, & efficacia intelligantur, quæcumque in contrarium acta sunt; si confirmatio accedat, rata sit prohibitio, irritis manentibus quæ interim in contrarium acta sunt. Confirmatio itaque subsequens, cum non possit operari confirmati diminutionem, utpote inducta ad illius augmentum; si quis ita legaverit. De iur. & argenti legato. nihil facit; quod magis bona interrim Ecclesiæ utiliter relicta dici debeant, præsertim quia suspensio illa ad Ecclesiasticorum requisitionem, ut de gravaminibus interea Principem & Status instruerent, facta fuerit; & in eorum velut contumaciam, quod medio tempore de suo intere non docuerint, fuerit sublata; qui proinde fructum ex sua contumacia & negligentia facere non debuerunt, l. non fraudentur §. fin. l. in condemnatione §. pen. l. factum: quod quis de R. I. Postremo hæc Petri collatio arguit eum nihil juris ad villam habere, cum non possit esse Collatoris, & ejus cui confertur, si ut certo §. si duobus D. commodati l. hereditate §. pater. de Castren. peculio: arguit quoque malam ejusdem Petri causam in principali lite, ubi de possessione juris conferendi nulla est disceptatio, sed ipsius fondi, cujus arbores exsistere præsumpti; quarum exsistendum, virtute dictæ collationis, nullam haberet facultatem. Et si de possessione conferendi pro parte Petri fuisset questio, quia notorie constat ex actis, illum ante hanc per viam attentati factam collationem, numquam fuisse in possessione præsentandi seu conferendi; cassari omnino deberet tamquam attentatum, Alex. cons. 75. Visi ponderatis nu. 46. alias n. 6. vol. 4. Quare arbitrari officium Dominorum esse, ut hanc dicti Petri collationem seu donationem, tamquam attentatam in præjudicium litispendentiæ, ante omnia revocent & cassent; & Opponentes juxta traditionem Hostiensis, in Summa V. lite pendente in fine, in expensis condemnent.

De confessis.

SUMMARIUM.

Confessionis revocatio.

1. Confessio procuratoris quando revocari possit.
2. Confessio deliberata an revocari possit.
3. Confessio geminata non revocatur.
4. Confessio acceptata non potest revocari.
5. Permentiarum nomine quid contineatur.
6. Clausula salutaris in libello potestas.
7. Confignatio sine oblatione nihil operatur.
8. Reditus annuus legatus an sit perpetuus & irredimibilis.
9. Reditus super fundo relictus in causam piam inducit hypothecam.

CONSILIUM XCIII.

Deo sunt, de quibus queritur in causa Magistrorum mensæ sancti Spiritus in Thiele Conf. Wamef. Tom. I.

S. Mariæ Actorum, contra Georgium Pastels ejusque consortes Reos. Prius, an redditum unius modij siliginis Rei debeant? Alterum, an idem redditus sit redimibilis? Sed ea deprehenditur Actorum & juris veritas, quod verè debeatut à Reis, nec sit redemptioni subiectus. Quod attinet ad prius parum laborandum est: etenim extat Reorum aperta minimeque ambigua confessio. Etsi enim primum respondendo, dixerint se non esse obligatos ad hujus redditus solutionem, & id quod solverunt indebitè solutum esse; postea tamen ad exactoris responsionis petitionem responderunt se credere quintam & sextam positiones articulorum partis agentis, quibus continetur, quod Rei hujus causæ sint hæredes, & successores eorum, qui in exhibitis per agentes dictæ mensæ registris annocantur, solvisse hunc redditum; & quod Rei eundem redditum pluribus annis etiam diversis partibus solverunt; & sic mensa sit in quietâ possessione percipiendi eundem redditum. Cujus quidem confessionis vim & effectum agnoscetes Rei, tandem in fine causæ, post intervallum amplius quam trium annorum hujusmodi suam apertam confessionem sub prætextu erroris revocare conati sunt. Ceterum cum id serius factum sit, postquam super negationibus & confessionibus partis reæ facta fuit litis contestatio, testes utrimque producti, & formaliter conclusum in causâ, non habet hujusmodi revocatio aliquid momenti.

† quippe revocatio confessionis, quæ ad Advocatum aut Procuratorem in causâ facta est, in libera partis potestate non est, sed oportet eam ex brevi intervallo fieri, l. ult. C. de errore advocat. non post tam longum, quod in proposito est, trium annorum. Et cum ex intervallo fieri potest, requiritur allegatio & probatio erroris; qui præsumitur in revocatione ingententi facta, Doff. d. l. ult. gloss. in c. Olim in V. non revocata, de censibus. Iam verò nulla extat in actis vel probatio vel demonstratio erroris, quod Rei ita malè seu erroneè contra rei veritatem responderint per suum procuratorem: nam probatio illa, quam Rei fecerunt de debito & solutione redditus annui unius modij siliginis ex fundis, quos Georgius Baptista possider, ad errorem aliquem constituendum in dictâ confessione non sufficit; cum satis constet, utrumque debitum deberi: ita ut obligatio aliorum in alio & diverso seu separato & distincto redditu Reos nullo modo liceret. Vti etiam error aliquis non potest deprehendi ex annotationibus dictorum registro- rum; præsertim quod rei contenta dictæ quintæ positionis quoque sint confessi, hoc est, se esse hæredes, successores & apprehensores bonorum eorum, qui ante ipsos Reos hunc redditum solverunt. Hanc autem confessionem Rei non revocaverunt, sed præcisè & restrictivè dumtaxat confessionem factam ad sextam positionem: ita ut etiam resolutâ potestate confessionis factæ ad sextam positionem prætextu erroris, maneat semper effectus confessionis ad dictam quintam positionem: unico enim impedimento in concursu plurium sublato, manet vis impediendi ex altero quod reliquum est, l. si non lex, D. de hered. instit. † Deinde revocandæ hujus confessionis potestas minor hic est; ob id, quod hæc confessio sit facta